

Bonacina. Marchant.

10.

Qui dicunt decertantem in duello privandum esse Ecclesiastica sepultura, etiam si ob vulnus acceptum non statim ipso die moriatur, sed sequenti die; nam ille dicitur mori in duello, qui ex vulnere accepto in ipso duello moritur. Deinde quia privatio sepultura imposita est in detestationem criminis, ut alii videntes duellum tam dure puniri, terreatur, & caveant a committendo tam dire crimine, & inde privatio sepultura non inducitur per modum censurae, sed iuxta poenam.

11. Plaza. Joan. Sanc. Menoch. Hurtado. Navar. Rodrig. Villalob. Lezana.

12.

Nec contra nos facit Concilium Trident. sess. 22. c. 19. de reformat. & Clemens VIII. in sua Constit. imponentes declinantibus in poenam privationem perpetuam sepulturae Ecclesiasticae, si decesserunt in ipso conflictu, ut patet ex verbis Clementis VIII. Et si in ipso conflictu obierint sepultura Ecclesiastica perpetuo privatos esse volumus: proindeque si aliquo post tempore ex vulnere accepto in duello obierint, jam non sunt privandi sepultura Ecclesiastica, quia Concilium, & Pontifex loquuntur de illis, qui in ipso conflictu, & non post ipsum occubuerint, & cum lex sit poenalis, non est extendenda ultra casum expressum, sed potius restringenda, ut docent Portel. com. 2. in responsionibus Moralibus, part. 3. casu 10. num. 4. M. Lezana tom. 2. verb. Duellum. n. 14. Diana tom. 2. tract. 16. Resolut. 5. 2. alias 34. & est commune placitum apud iuristas.

13.

Ex ratione nostrae conclusionis, quia unusquisque in extremis praesumitur maxime agere de sua salute aeterna. Adulteri deprehensi in adulterio, & a marito interfecti sepeliuntur in loco sacro, ut docent etiam Graffius tom. 1. consil. lib. 3. de sepultura consil. unic. num. 6. & Sancius supra. Qui idem dicit de rixantibus, & murto se occidentibus, licet in conflictu mortui occumberent, nullo poenitentiae signo exhibito, & de illis, qui in cornibus taurorum vitam perdunt, ut tenet Villalobos 20. 2. summa, tract. 31. difficult. 3. & propter hanc causam Navar. lib. 3. consil. de sepultura, consil. 4. & Portellus proxime citatur, num. 5. docent, quod meretrix, dum in domo sui amasi inventa est vulnerata & vulneribus confusa, & mortua possit in loco sacro sepeliri.

14.

Et generaliter loquendo Azyd. Coninch disp. 14. de excommunicatione, dub. 8. conclus. 5. n. 66. ait sepeliendum in loco sacro excommunicatum, quoties dabitur, utrum talis poenitens discesserit, & inquit, quia melior

pars praesumenda est; quae ratio maxime facit ad intentum, & ut amplius docet Hurtadus de Mendoga 2. 2. disp. 76 sect. 1. §. 2. Quod tales sepeliendi sunt in loco sacro, quia licet exterius nullum dedissent poenitentiae signum, potuerunt tamen interius, quia praesumitur, quod homo in extremis, totis viribus agit de sua salute aeterna, & quia non constat, quod non egerint poenitentiam internam, ideo ex Ecclesiae consuetudine pro eis sunt orationes, & sacrificia, quia ex hypothese, pro eis offeruntur, qui sunt in statu in quo illis profuit.

Et magis confirmatur praedicta doctrina, quia si inveniatur homo clauso suo ostio a parte interiori laqueo suspensus, vel in puteo demersus, ac suffocatus, sepulturae sacrae donandus est, quia causa est criminalis, & in causa criminali non est procedendum contra ream, nisi probationibus luce clarioribus, & sciant cuncti, ff. de probationibus, cap. sciant cuncti. 11. quast. ultima, & maxime contra mortuum, qui pro se non potest agere, nec dicere, & cum homo laqueo suspensus, vel in puteo demersus agat contra propriam inclinationem naturalem de Conservatione vitae, & ideo potius praesumendum est, illud factum fuisse ex quadam amentia, seu mentis alienatione, quam ex desperatione, & ideo sepultura non est privanda. Ita ad praedictum casum respondent, Navar. Consil. 7. de sepultura lib. 3. Rodriguey tom. 1. quast. Regula 9. 6. 1. Rodrig. art. 1. Villalobos tom. 2. tract. 31. difficult. 3. n. 47. Barbosa de officio Parochi cap. 26. n. 29. Diana pari 5. tract. 3. Resol. 100. & pro hac sententia citat etiam Marchantium, & Genevensen, & Iulium Lavorium.

QUESTIO III.

An sepultura unius, possit alteri donari, seu vendi.

SUMMARIUM.

- 16 Sepultura absque ulla Simonia datur pro pretio, seu elemosina.
17 Si patronus emit sepulturam, seu Capellam pro se, ac suis haeredibus non potest alius ibi sepeliri sine eius licentia.
18 Et si secus factum fuerit, exhumandum cadaver alienum.
19 Si extinguatur progenies, jus sepulchri transit ad Ecclesiam.
20 Tamen in tali casu priores inscriptiones non sunt delendae.
21 Haeredes sunt, qui nascuntur ex filiis, non extranei.
22 Si sepultura suis data absolute, possunt alii sepeliri.
23 Si perpetua duabus conditionibus.

EX communi usu, ac consuetudine populi Christiani patet, quod vendere, & emere sepulturam absque Simoniae labe fiat: Quia non venditur, proat quid sacrum est sed pro ut quid materiale est, seu quatenus terra; sic & vendi potest calix consecratus, & vestis sacra ratione materiae, auri, & argenti, ut ex multis

Hurtadus

15.

L. Sciante.

Navar.

Rodrig.

Villalobos.

Barbosa.

Diana.

16.

Suar. Bonacina.

Rodrig. Barbof. Villalob. Portel. Lezana. Sanchez. Diana.

17.

Urbald. Bordon.

L. si habitatio.

18.

C. Fratrum. C. Ex parte.

Lavor. Bordon.

19.

Armill. Sylvest. Rodrig.

20.

Bordon. Pellizar. Urbald. Portel.

21. Peirina. Lambert.

multis probant Suar. tom. 2. de Relig. cap. 14. num. 6. & 17. & Bonac. de simonia, q. 4. §. 6. n. 1. Deinde illud pretium non recipitur in pretium sepulturae, sed ad fabricam Ecclesiae, ac sustentationem Ministrorum Ecclesiae, ut ex Rodrig. Barbosa, Villalobos, Portel, tenet M. Lezana tom. 4. verb. sepultura, n. 14. & ut bene notant Sanchez tom. 1. consil. lib. 2. cap. 3. dub. 14. n. 3. Diana cum aliis part. 2. tract. 15. Resolut. 57. Pro honorati loco sepulturae, majus pretium posse accipi. Et ratio est, quia venditur ibi quid temporale, scilicet honor, qui pendet ex hominum estimatione, & potest accidens rei spirituali conjugitur.

Ad quaestionem cum distinctione est respondendum; si patronus, seu Dominus emit sepulchrum, vel capellam pro se, ac sua familia, seu descendentibus, non potest ibi sepeliri aliquis sine licentia ipsius patroni. Ita Petrus Urbald. de Canon. paroch. part. 12. n. 5. & alii, quos citat, ac sequitur Bordon. tom. 2. Resol. 5. n. 80. quod talis patroni licentia requiritur, probatur ex eo, quod sicut in fundo, in quo quis habet usum, Dominus in illo habitare non potest contra voluntatem usufructuarii l. si habitatio, §. si de usu, & habu. Sic nec Ecclesia, quae est Domina directa sepulchrorum, & capellarum, potest habitare per se, vel per alium in sepulchris aliis concessis.

Unde si absque licentia patroni extraneus sepeliatur in eius sepulchro, potest ille cadaver extrahere quod restituendum in proprio sepulchro idque patet ex cap. fraternitatem, & cap. ex parte cap. eum liberum de sepultura & cap. eodem in 6. ubi mandatur exterrari corpora, & restitui propriis, ergo etiam & in hoc casu, in quo recondita cadavera non dicuntur requiescere in propriis sepulchris, sed alienis, hoc idem erit licitum; ex quo sequitur quod inferens mortuum in alienum sepulchrum tenetur poena violati sepulchri, ut ex Lavor. tenet Bordon. n. 11.

At vero si extincta est progenies illius, cui fuerat concessum jus sepulchri, tale jus potest concedi aliis, cum tale jus redeat ad Ecclesiam, quia mortuo habente usum, usus redit ad proprietarium, sic morte usufructuarii, ususque descendendum, usufructus devolvitur ad proprietarium l. usufructum C. de usufructu, ut docent Armilla Sylvest. verb. sepultura, Rodriguey in addit. ad summam tom. 4. c. 131. n. 2.

Notant tamen Bordonius citato tom. 2. Resolut. 51. n. 72. & Pellizar. tom. 2. c. 5. sect. 4. n. 151. cum Urbald. Portello, & aliis. In proposito casu, quod sepultura unius detur alteri, tamen non debere deleri inscriptiones sepulchri, pro memoria insculptas, l. 6. §. monumentum §. de relig. & sumpt. funer. quod confirmo ex eo, quia defunctus dedit pretium pro sepultura tam ut ibi reponeretur, ac recondideretur ejus cadaver, quam ut etiam ibi ejus memoria permaneret.

Advertit etiam Peyrinus tom. 3. Privileg. c. 4. n. 48. ex Lamberto in sepulchris solum sepeliendos esse haeredes sanguinis, eos nempe, qui nascuntur ex filiis & nepotibus, tam masculis, quam feminis, non vero haeredem extraneum, quamvis universalem, jus enim sepulturae non transit ad extraneos.

Hic maxime norandum, quod vel Ecclesia dedit alicui locum sepulchri, simpliciter, & absolute, vel apposita conditione, ut sepultura ei esset perpetua. In primo casu possunt alij sepeliri in tali loco, quia ita habet Praxis universalis Ecclesiae, & quia ut ait Portel. tom. 1. Resp. mortali, part. 2. casu 20. n. 1. in medio quia si per nudam donationem sepultura factam alicui, prohiberetur conventus ne illa sepultura alteri alterius donari posset intra parvum tempus non maneret in illa Ecclesia locus, ubi possent alij fideles sepeliri, si ibi sepulturam elegerent.

At vero si sepultura donata fuit, ut ei esset perpetua tunc deficientibus haeredibus, possit alteri donari, ut modo dixi in hac quaestione, servatis tamen duabus conditionibus. Prima, ut ibi maneat inscriptiones pro memoria talis defuncti. Secunda ut ossa prioris defuncti non poterunt exhumari, vel alio transferri, inde enim magnum scandalum fieri videntibus, magnaque injuria pro defuncto, sine ejus culpa exhumate; nam defunctus cum viveret, fecit pactum cum Ecclesia pro illa sepultura perpetua, hac de causa dedit majorem elemosynam, & inde sepulturam cum lapide exposito ac aliis exornavit, ut ejus memoria ibi perpetuo remaneret; ergo nulla est causa cur pactum initum non sit observandum, & ideo illius ossa non sunt exhumanda, nec inscriptiones delendae. In hac Resolutione conveniunt Portel. & Bordonius citati ex Rodriguey tom. 2. Addition ad summam verb.

RESOLUTIO. XLIX.

De suspensione, ac ejus absoluteione.

QUESTIO PRIMA.

An qui absolutus, vel dispensatus est ab Episcopo, cum crimen esset occultum, & postea crimen factum est publicum, & manifestum, indigeat nova absoluteione, vel dispensatione?

SUMMARIUM.

- 1 Casus quaestionis.
2 Prima sententia affirmans novam absoluteionem necessariam.
3 Primum fundam. ex Trident. facultate data, est solum ad forum interius.
4 Dispensatus in foro conscientiae potest accusari, & puniri.
5 Dispensatus in articulo mortis tenetur comparere coram superiore; & in dubio tutior pars est eligenda, & n. 6.
6 Contraria sententia vera.
7 Quia facultas absoluteionis concessa est pro utroque foro.
8 Quando facultas restringitur ad forum interius ponitur pro foro conscientiae.
9 Facultas dispensandi late explicanda. Praedicta facultas non est delegata, sed ordinaria, ibid.

22.

Portel.

23.

Portel. Bordon. Rodrig.

- 11 Censura semel rite ablata non reviviscit.
- 12 Absolutus in articulo mortis tenetur comparere, quia iura ita disponunt, quod non datur in nostro casu.
- 13 Episcopus debet dare testimonium de absolutione data.
- 14 Ad primum argumentum facultas data in Trident. non est restringenda ad forum interius.
- 15 Ad 2. ex eo quod delinquens potest deduci ad iudicium exterius, non sequitur quod absolutio sit nulla.
- 16 Solvuntur alia argumenta, & num. 17. & 18.

1. **C**asus. Quidam clericus falsis, & commentis demissioris suscepit ordines sacros, contraxit suspensionem, ut constat ex quadam Extravaganti Pii 11. quæ incipit *Cum ex sacrorum*. Et ex altera Extravag. Sixti V. quæ incipit, *sanctum, & salutare*; & cum crimen esset occultum accessit ad Episcopum, qui viute Concilii Tridentini *sect. 24. cap. 6. de reformatione*, absolvit à suspensione incurta; postea crimen deductum est ad iudicium, & de illo Clericus & accusatus, & convictus; tunc quæritur est, an indigeat nova absolutione, an illa prius obtemperata pro foro interiori, valeat etiam nunc pro foro exteriori.

2. Prima sententia loquendo de irregularitate ait, quod talis dispensatio solum prodest pro foro interno, in quo est data, & non pro exteriori. Ita Joannes Valer. *de differentia utriusque fori, verb. Irregularitas, diff. 7. in fine. Toletus lib. 1. cap. 89. §. Hoc posteo ad finem*, sic concludit, *existimo dispensationem factam prodest in foro interiori, non exteriori, & multis potest hæc sententia probari*

3. Primò ex ipso Textu Concilii Trident. citato loco, facultas data ibi dispensandi, & absolvendi est pro foro interno, ait Concilium *ex delicto occulto provenientibus*; ea autem, quæ pertinent ad forum internum, non extenduntur ad externum. Ut tenent Garcia *de benefico. part. 7. capit. 11. num. 51.* Barbosa *in collectanea ad citatum locum Concilii. num. 64. & de potest. episcop. allegat. 40. num. 29.* Rodrig. *in summa part. 1. cap. 168. in fine. Sayrus de cens. lib. 4. cap. 17. num. 24.*

4. Confirmatur. Primò, quia dispensatus in foro conscientie potest inquiri, accusari, ac puniti in foro judiciali, ut tenent Doctores proxime citati, & Bertol. *de Vecchis disp. 9. dub. 16. in fine*; ergo absolutio in foro interno non videtur prodesse, cum non absolvat reum à delicto.

5. Secundò, dispensatus, vel absolutus in articulo mortis, vel dato legitimo impedimento, eo cessante tenetur coram superiore comparere. *cap. eos, qui de sententia, excommunicat. lib. 6. Bonacin. de excommunic. disp. 2. quest. 4. punct. 5. num. 17.* ergo eandem obligationem habebit absolutus ab Episcopo virtute prædicti Concilii Trid. quoniam inter unum, & alterum casum nulla datur major ratio.

6. Tertio, & ultimo. Quia in dubiis semper

tior pars est eligenda, *cap. Invenis de spons. C. Invenis sal. cum similibus*; maxime quando vertitur in periculum animæ, ut in præsentis questione; ergo tutius est adire Pontificem pro obtinenda absolutione in foro exteriori.

Contraria sententia mihi videtur vera, quod illa absolutio data pro foro interno, quando crimen erat occultum, licet postea fiat publicum alia absolutio non est necessaria. Ita Navarr. *cap. 27. num. 41. Sanchez in Decalogum tom. 1. l. 1. cap. 11. num. 12. Suar. de censuris tom. 5. disp. 7. sect. 5. à num. 21. cum sequen. Bonac. de censur. disp. quest. 3. punct. 40. n. 3. Layman tom. 1. tract. 5. part. 1. cap. 7. num. 7. & alii.*

Probat; primò. Quia quando conceditur facultas absolvendi, vel dispensandi absque ulla limitatione, videtur concessa pro utroque foro. Ita Navarr. Rodrig. Suar. Filiuc. quos citat, ac sequitur Bonac. *cit. disp. 1. q. 3. punct. 10. n. 2.* Atqui in Trident. dicto *cap. 6. datur absolutio Episcopis potestas ad tollendas suspensiones, vel irregularitates ex delicto occulto provenientes*, absque eo quod apponatur clausula: *in foro conscientie* (prout bene notat Suar. 3. part. 4. l. sect. 2. n. 10. & 12. in fine Sanchez. *cit. n. 12.* Garcia *de Beneficis p. 11. c. 10. n. 140.* ergo facultas data est pro utroque foro.

Quando verò prædicta facultas restringitur ad forum conscientie, prout habetur in 2. part. *dist. c. 6. in Trident.* ubi dicitur *in foro conscientie*, non potest absolutio ad forum exterius extendi, Sanchez. proxime *cit. n. 13. Bonac. n. 2. Garcia. n. 1. q. 3. & tam. n. si absolutus his terminis ad iudicium trahatur, & non sit pars, quæ contra eum instet, non tenetur Index eum ad Papam remittere, excommunicatumque eum declarare in foro exteriori, imo si Index id faceret, reputaretur iniustus, & male propensus. Marc. Anton. Genuen. *in praxi c. 31. per tot. & c. Joannes Valerius supra verb. Absolutus different. 2. n. 2. Agydus Coninch. disp. 14. dub. 16. n. 27. Busemb. in Medulla Theolog. Moral. lib. 8. dub. 1. art. 1.**

Probat; secundo. Quia quavis dispensatio sit regulariter loquendo, tanquam odiosa restringenda, ut late Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 2. num. 1.* Attamen dispensandi potestas, de qua agimus, late est interpretanda. Idem Sanchez *cit. n. 1. & n. 12. cum sequentibus. Marc. Anton. proxime cap. 25. num. 7. & cap. 67. n. 1.* Cum non restringatur ad forum internum, ut est probatum supra n. 7. debet extendi ad externum, quando nemini nocet, & si Papa contrarium voluisset, expressisset, & contra eum, qui legem dicere potuit apertius, larga est interpretatio facienda juxta Juria vulgaria, & post multos alios tenet Marc. Anton. *dicto cap. 25. n. 7.*

Deinde, prædicta potestas non est delegata, sed potius ordinaria, & inde maxime amplianda, ut habet ipse Sanchez *cit. lib. 2. disp. 40. n. 14. & 17. & citat disp. 2. num. 10.* in quibus multos alios refert.

Probat; tertio; quia Censura semel rite ablata, non reviviscit absque nova culpa, ut tenet Suar. *tom. 5. de censuris disp. 7. sect. 5. n. 23. 24. & 25.* Plane censura per absolutionem, vel dispensationem ab Episcopo factam, quando erit

Trident.
Valerius.
Toletus.
Garcia.
Barbosa.
Rodrig.
Sayrus.
Bertol.
De Vecch.
Cap. eos.
Bonacina.

1. **T**rident. citato c. 6. ergo amplius non reviviscit, sed omnino est extincta.

2. Confirmatur ex eo, quia absolutus in mortis articulo, vel propter aliud impedimentum à casibus reservatis, eo cessante tenetur se præsentare Superiori, ex speciali juris dispositione, ut habetur *cap. eos qui de sentent. excomm. in 6. & in cap. De casere, & cap. Ea noscitur, & tenet Leandrus p. 4. tract. 2. de excomm. disp. 17. q. 63.* Et tamen hujusmodi præsentatio non fit ad novam absolutionem obtinendam: nam per primam absolutionem censura omnino est extincta, sed ut superiori pareat eique contestet quod parti satisfecerit, unde instet Navarr. *c. 26. n. 26. §. An autem.* Quod si contestet, quod parti satisfecerit, vel cum ea concordaverit, non tenetur se præsentare Papæ, vel Superiori ita ex Navar. M. Cornejo *disp. 11. de excomm. dub. 1. §. Nota secundo.* Henric. *lib. 13. c. 29. n. 1.* Avila, & alii cum Leandro *citata, disp. 27. q. 66.* Et dato quod tenetur se præsentare Superiori, ut aliqui volunt, non est ad obtinendam novam absolutionem, seu ut ostendat suam obedientiam erga Ecclesiam, quod non invenitur extra prædictos terminos, ut quando absolvitur virtute Jubilæi, vel Cruciatæ, ut ex ipso M. Cornejo, Rodriguez, Suario; & aliis notat citatus Leandrus *q. 69.*

Hic tamen maxime est advertendum, quod absolutio occultè data ab Episcopo, cum crimen esset occultum, tamen cum jam publicè crimen sit manifestatum, etiam per testimonium Episcopi debet manifestari absolutio data tempore nempe habili: nam si de censura publicè constat, & publicè debet constare de absolutione data, ita Navar. *c. 27. num. 41. Suarez de censur. disp. 7. sect. 5. n. 26. M. Lezana verb. Absolutio, n. 7. Filiucius tract. 21. c. 6. n. 291. Bonac. de censur. disp. 1. q. 3. punct. 10. n. 3. §. Respondeo non.* Layman *lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 7. n. 2.*

Ad primum argumentum in contrarium responderetur, quod Tridentinum citato loco, dat facultatem ad tollendam irregularitatem, vel suspensionem provenientem ex delicto occulto, quod non coarctatur ad forum interius siquidem non dicitur *in foro conscientie* ut jam est notatum supra n. 8. Ac proinde absolutio fuit data tempore habili, quando crimen erat occultum, & ex eo quod sit publicum, absolutio non invalidatur, sed tenet.

Ad secundum ex eo quod delinquens in iudicio possit puniri, non inde sequitur quod reviviscat censura ablata, ut jam probatum manet n. 11. v. g. quidam absolutus fuit à juramento falso, & postea crimen deducitur ad forum externum, & ibi punitur, nullus dicit, quod absolutio data sit nulla.

Ad tertium casus est valde dispar, quia in nostro casu non habetur in iure, quod absolutus comparere debeat coram superiore deducto delicto ad forum contentiosum, nec quod per delationem incuratur nova censura; ut dictum est supra n. 13.

Ad ultimum non sumus in casu, ubi tractetur jam de animæ periculo, quia quoad Deum censura jam extincta est, ut in confesso est apud omnes, sed solum tractatur de satisfactione offensæ, & in hoc nullum vertitur animæ periculum, ut tenet Doctores adducti supra n. 8. & Sanchez *in Decalog. lib. 2. c. 12. n. 7.*

Deinde si de animæ præjudicio ageremus (quod non datur) hæc ultima opinio sequenda erat, tanquam tradita per Auctores classicos, qui rite perpensis utriusque partis rationibus, eam sequuntur & Auctores contrariæ opinionis, scilicet Valerius, & Toletus, non jure, nec valida ratione nituntur, ut eos legenti parebit. Ita Bonacina *tom. 2. de peccatis, quest. 4. punct. 9. num. 12.*

Q U Æ S T I O II.
An suspensio posita à jure, & publicè facta, cum non sit reservata tolli possit ab Episcopo?

- S U M M A R I U M.
- 19 Casus questionis ponitur.
 - 20 Pars negativa, & ejus fundamentum.
 - 21 Ponitur sententia Henricus.
 - 22 Ponitur sententia vera, & affirmativa.
 - 23 Probat; nostra sententia.
 - 24 Ex Tridentino datur via ad tollendam suspensionem ex mala susceptione Ordinum.
 - 25 Parochus solum habet jurisdictionem in foro interiori.

Casus contrigit. Quidam Clericus sicto patrimonio, seu sicis demissioris suscepit Ordines sacros, cum crimen factum esset publicum, deductam est ad iudicium; nunc queritur an à tali suspensione publica valeat Episcopus absolvere? Et hæc questio coincidit cum illa, an suspensio publica, quæ non est reservata, valeat ab Episcopo tolli?

Negantem partem videntur tueri Turrian. *de censur. lib. 4. disp. 45. dub. 2. Faber. de censur. in 4. dist. 25. q. 1. disp. 6. cap. 2. n. 55.* Fundamentum est, quia si esset aliqua ratio ad absolvendum ab hac suspensione, esset deducta ex *cap. Nuper*, in quo agitur de absolutione ab excommunicatione, quam superior sibi non reservavit potest inferior absolvere, atqui non eadem ratio militat in excommunicatione, ac suspensione, propter majorem necessitatem absolutionis ab excommunicatione, quam absolutionis à suspensione; suspensio enim non privat à suffragiis Ecclesiæ, sicut privat excommunicatio, non privat receptione Sacramentorum; ergo quod conceditur in excommunicatione ob majorem necessitatem, non est admitendum in suspensione.

Et etiam pro hac sententia videtur stare Henricus *lib. 14. c. 20. in fine.* Sylvester, Panorm. & Filius, qui dicunt non posse Episcopum absolvere à suspensione, quando imposita est propter delictum majus adulterio, bene tamen quando imposita est ob adulterium vel alia delicta leviora.

Simpliciter, & absolute dicendum est, quando suspensio, licet publica, non est reservata; bene potest Episcopus ab ea absolvere, ac proinde optime, & sine scrupulo potest cum Clerico tali dispensare, licet ipse ob tale crimen deductus esset ad forum contentiosum.

Navar.
Cornejo.
Henric.
Avila.
Leandr.
Cornejo.
Rodrig.
Lezana.
Filiuc.
Bonacina.
Layman.

18.

19.

20.

21.

22.